



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

A Clemente XI. Ad Benedictum XIII.

Luxemburgi, MDCCXLI.

32. Cum pridem sub &c. Confirmatio præcedentis Decreti, auditis
rationibus à Lectoribus Ordinis Minorum Observantium Reformatorem
deductis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74859](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74859)

1720.

1720

DECRETUM.

XVII.

Quo abolerentur Indulta, & Privilegia Lectoribus, Prædicatoribus, & Magistris Novitiorum concessa in Statutis Capitulorum generalium Toletani, Romani, & Victorie Ordinis Minorum Observantium Reformatorum S. Francisci, non obstantibus Decreto Sacre Congregationis Episcoporum, & Regularium, & Brevis confirmatorio Venerabilis Servi Dei Innocentii XI. ; ita tamen ut Regulares præfati Ordinis, qui dicta Indulta, & Privilegia legitime hæcenus consecuti fuerint, ac in eorum pacificâ possessione existerint, iis uti, & frui pergant.

Die 18. Julij 1720.

EX Capitulo generali Toletano sub anno 1682. nonnulla concessa fuerunt Indulta, sive Privilegia Lectoribus Sacre Theologie, Prædicatoribus, & Magistris Novitiorum Ordinis Minorum Observantium Reformatorum, qui scholastica exercitia, verbi Dei prædicationem, & Novitiorum Tyrocinium tempore, & modo præscriptis, respectivè expleverint, sub hac formâ videlicet: Capitulum generale perpendens, multos præmio magis, quam pœna ad virtutes excitari, omnium Vocalium strictioris Observantia unanimi consensu, ac nemine discrepante, statuit eos, qui integrum Philosophiæ cursum, & Sacram Theologiam per duodecim annos laudabiliter docuerunt, vel in posterum docebunt, ultimum locum, & præcedentiam obtinere inter eos, qui Ministri, aut Vicarii Provincialis per biennium, vel Guardiani Hierusalem, vel Secretarii Generales fuerunt. Qui verò totidem annis in Cathedralibus, vel in Suggestis conspicuis, vel generalibus in verbi Dei promulgatione præclare se gesserunt, vel posthac se gerent, immediatè post Definidores actuales, & qui Magistris Novitiorum per octo annos fuerunt, vel erunt post, Ex-Custodes, & Pro-Ministros, qui in Capitulo generali Hispaniarum legitime suffragati sunt, locum habeant, ea tamen lege, ut unus ex Lectoribus, unusque ex Concionatoribus, & unus ex præfatis Magistris antiquior in suo quolibet munere expleto, præfata respectivè præcedentia, & loco absque jure subrogandi, eodem tempore gaudere possit; Præfati autem Lectores teneantur in posterum exercitia scholastica facere ad præscriptum Constitutionum Generalium &c. Quod Toletanum Statutum, quoad Lectores Sacre Theologie sub die 7. Decembris 1685. esse confirmandum Sacra Congregatio Episcoporum, & Regularium censuit, & successivè à Venerabili Servo Dei Innocentio XI. per literas in forma Brevis anno tum proximo sequenti pro eisdem Lectoribus Sacre Theologie Apostolicâ auctoritate communitum fuit, salva tamen in præmissis memoratæ Congregationis facultate. In Capitulo pariter generali Romano, sub anno 1688. Titulum *Emeriti* jam dictis Lectoribus attributum extitit, & in altero Capitulo generali *Victorie* nuncupato, anno 1694. unus ex qualibet Provinciis Conventus determinatus fuit, ubi Lectores, Privilegia consecuturi scholastica exercitia profequi deberent.

Quoniam verò Superiores Generales jamdudum recursum habuerunt ad Sanctam Sedem exponentes gravia, quæ ex ipsis Indultis, & Privilegiis supervenerunt Regularis disciplinæ præjudicia, inter Religiosos jurgia, lites, & ambitus multum ab humilitate, & simplicitate Reformati Ordinis abhorrentes, Sanctissimus Dominus Noster Congregationem particularem deputavit Eminen-

tissimorum, & Reverendissimorum Dominorum S. R. E. Cardinalium Paulucci, Cafoni, Paracciani Præfati Sacre Congregationis Episcoporum, & Regularium, Fabroni, meique infra scripti ejusdem Sacre Congregationis Secretarii, ut singula quæ ad adducebantur, sedulo examinarentur, & votum super prædictis Sanctitati Suae deinde exponeretur.

Die igitur Jovis 18. Julij 1720. eadem Congregatione habita EE. PP. unanimiter fuerunt in sensu: Confulendum esse Sanctissimo Domino Nostro pro annullatione, & abolitione dicti Statuti Toletani super Indultis, & Privilegiis, Lectoribus, Prædicatoribus, & Magistris Novitiorum, ut præfertur, concessis, nec non aliorum Statutorum in Capitulis Generalibus Romano, & Victorie editorum, non obstantibus Decreto Sacre Congregationis Episcoporum, & Regularium negociis præpositæ, & Brevis confirmatorio Venerabilis Servi Dei Innocentii XI. Sicque deinceps Lectores, Prædicatores, & Magistris Novitiorum prædicta Indulta, Privilegia, & Titulos consequi nullatenus valeant; Ita tamen, ut Regulares præfati Ordinis, qui usque ad præsentem diem jam dicta Indulta, & Privilegia legitime consecuti fuerint, in eorumque existerint pacificâ possessione, iis uti, & frui possint in statu tantum, in quo reperiuntur, non tamen assequi valeant aliud Privilegium in casu loci vacantis privilegiati, atque nihil præfati Decreto juri ex illis quæsito derogatum censeantur. Datum Romæ die 18. Julij 1720.

Die 20. prædicti mensis facta per me infra scriptum Secretarium relatione Sanctissimo Domino Nostro Sanctitas Sua resolutionem, sive Decretum approbavit, ac expediri jussit Literas Apostolicas in forma Brevis.

J. D. Card. Peraccianus Præfectus.

V. Archiepiscopus Damascenus Secr.

CONFIRMATIO

Præcedentis Decreti, auditis rationibus à Lectoribus Ordinis Minorum Observantium Reformatorum deductis.

Die 29. Augusti 1720.

Cum pridem sub die 18. Julij 1720. Congregatio deputata Eminentissimorum, & Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium Paulucci, Cafoni, Paracciani Præfati Sacre Congregationis, & Fabroni, meique infra scripti Secretarii, fuerit, in sensu confulendi Sanctissimo Domino Nostro pro abolitione Statuti Toletani, nec non aliorum Statutorum in Capitulis Generalibus Romano, & Victorie editorum super Indultis, & Privilegiis Lectoribus, Prædicatoribus, & Magistris Novitiorum Ordinis Minorum Observantium Reformatorum concessis, prout latius expressit ferie, & Decreto edito à Sanctissimo Domino Nostro approbatum fuit.

Nuper ex Lectorum præmemorati Ordinis parte eidem Sanctissimo Domino Nostro expositum fuit, quod alijs sub die 21. Junij 1709. in Sacra Congregatione Episcoporum, & Regularium hac eadem promotâ Superiorum Generalium Instantia super abolitione respectivè dictorum Privilegiorum, & Indultorum, Ponente claræ memoriæ Cardinali Sancti Clementis, rescriptum fuit, nihil esse innovandum, proindeque ex iis, aliisque præfatis rationibus, quæ à dictis Lecto-

ribus

XVIII.

1720.

ribus adducebantur, & in eadem Congregatione particulari exhibitæ non fuerint, non esse locum abolitioni prædictorum Indultorum, & Privilegorum dicebatur.

Hinc denud de mandato Sanctissimi Domini Nostri, Congregatione habita die Jovis 29. Augusti 1720. & perpenfis dicto Decreto Sacræ Congregationis Episcoporum, & Regularium, aliisque prætenfis rationibus prædictorum Læctorum, EE. PP. unanimiter fuerunt in sensu: *Standum esse in Decretis sub die 18. Julij proximè præteriti.*

J. D. Card. Paraccianus Præfectus.

V. Archiepiscopus Damascenus Secres.

DECRETA, EPISTOLÆ ET

Responsa Memorabilia Sacræ Congregationis Eminentiss. & Reverendiss. DD. Cardinalium Concilij Tridentini interpretum.

Juxta temporis seriem disposita

DECRETUM

I. De celebratione Missarum in Oratoriis privatis.

Quoniam Sancta sanctè tractanda sunt, ac præsertim tremendum inveniunt Sacrificij Mysterium, quod omni Religionis cultu, & veneratione peragendum est; Propterea super observandis, & evitandis in celebratione Missarum, Sacrosanctis Oecumenicis Conciliis, ac præsertim Tridentino sub cap. unico sess. 22. inter cætera statutum est, ut tantum Sacrificium solummodò in Ecclesiis, aut Oratoriis Divino tantum Cultui dicatis celebraretur, præcipiendo Episcopis, & locorum Ordinariis, ne privatis in domibus, atque omninò extra Ecclesiam peragi paterentur: Ac subinde Sacra Congregatio Eminentissimorum, & Reverendissimorum E.R.S. Cardinalium ipsius Concilij Tridentini executioni, & interpretationi præpositorum sæpè sæpius per opportuna Decreta obrepentes abusus eliminavit. Modernis tamen temporibus innotuit Sanctissimo Domino Nostro, quòd nonnulli Episcopi, sub prætextu Privilegorum Cappellis Episcopalis competentium, & complures Regulares, sub prætextu Privilegorum, quæ ipsi à Sancta Sede indulta noscuntur, per hujusmodi Privilegorum dilatationem seu potius excessum, & abusum in nonnullis Diocæsiibus, præsertim Regni Neapolitani, ac in ipsa Neapolis Civitate, ea sibi licere putant, quæ permittà non sunt, quinimò prohibita, siquidem nonnulli Episcopi etiam in alienà Diocæsi, & extra domum propriæ habitationis in privatis Laicorum Domibus erigi faciunt altare, ibique per unum, aut plures ex suis Cappellanis vivificam Christi Hostiam immolare; Regulares verò in quibusdam Magnatum, seu aliarum Nobilium Personarum privatis Oratoriis, quæ certis quandoque ex causis à Sancta Sede Apostolicà concedi solent, celebrare audent, vel plures Missas, quam in ipsis celebrare sit indultum, vel absque præsentia Personarum, quarum contemplatione gratiosa concessio emanavit, vel extra debitas horas, & post meridiem, vel illis etiam diebus, quibus per Constitutiones Diocæsanas, aut etiam per Decreta Sacræ Congregationis Concilij celebrari prohibetur, aut quæ in ipsismet Indultis Apostolicis excipiuntur, quominus in iis celebrari possit, aut etiam Altari portati-

li uti non verentur, in sanctarum Sanctionum contemptum, ac Sancti Sacrificij irreverentiam.

Quamobrem ad abusus hujusmodi eliminandos, & ad instaurandam venerationem tremendo Ministerio debitam, idem Sanctissimus Dominus Noster ex unanimi voto S. R. E. Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum, inhærendo declarationibus aliis hac de re editis, expressè declarat, Episcopis, & his Majoribus Prælatibus, etiam Cardinalatus dignitate fulgentibus, neque sub prætextu Privilegij clausi in corpore juris, neque alio quocumque titulo, ullo modo licere extra domum propriæ habitationis in domibus Laicis, etiam in propria Diocæsi, quod tortius intelligitur in alienà, etiam si Diocæsanis consensu adhiberetur, erigere Altare, ibique Sacrosanctum Missæ Sacrificium celebrare, seu celebrari facere, ac pari modo in Oratoriis privatis, quæ per Sanctam Sedem concessa fuerint, non licere Regularibus cujusvis Ordinis, aut Instituti, seu Congregationis, etiam Societatis Jesu, aut etiam cujuscumque Ordinis militaris, etiam Sancti Joannis Hierosolymitani, aut aliis quibuscumque Sacerdotibus, etiam si essent Episcopi, in iis celebrare in diebus Paschatis Sanctissimæ Resurrectionis, Pentecostes, Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi, aliisque anni festis solemnioribus, ac diebus indulto exceptis. In reliquis verò diebus prædictis Regularibus, seu Sacerdotibus quibuscumque, etiam Episcopis, in præfatis Oratoriis celebrare non licere, ubi etiam unica Missa, quæ in Indulto conceditur, celebrata fuerit, super quo celebraturus teneatur diligenter inquirere, & de eo se optimè informare; Atque illa etiam in casibus permittis celebrari nequeat post meridiem, demandando propterea ulterius, ac declarando in omnibus hujusmodi casibus, Personas quascumque dictas Missas audientes nullatenus Ecclesiæ præcepto satisfacere; Quò verò ad Altare portatile iterum inhærendo declarationibus supradictis, centuit licentias, seu Privilegia concessa nonnullis Regularibus in cap. in his de Privileg. & per aliquos Summos Pontifices aliis Regularibus communicata, utendi dicto Altari portatili, in eoque celebrandi absque Ordinariorum licentia in locis, in quibus degunt, omninò revocata esse per idem Sacrum Concilium, & propterea eosdem Regulares prohibendos, ne illis utantur, ac mandandum, prout præsentis Decreti tenore mandat Episcopis, aliisque Ordinariis locorum, ut contra quoscumque Contravenientes, quamvis Regulares, procedant etiam tanquam Sedis Apostolicæ Delegati, ad penas præscriptas per idem Sacrum Concilium in d. Decreto sess. 22. usque ad censuras latæ sententiæ, tributa etiam eisdem facultate per hoc Decretum ita procedendi, perinde, ac si per Sanctam Sedem specialiter concessa fuisset Et ita Sanctitas Sua declarat, & servari mandat. Romæ hac die 15. Decembris 1703.

B. Card. Panciaticus Præfectus:

Jo. Dominicus Thomatus Episcopus
Cyrenen. S. C. C. Secr.

Die 8. mense Januarij 1704. supradictum Decretum affixum, & publicatum fuit in Monte Citatorio Curie Innocentianæ, ac aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Nicolaum Vasellum SS. D. N. Papæ Curs.

Pro D. Mag. Curs. Thomas Orlandus
Apost. Curs.

1703.